

DE  
**FEBRIVM  
INTERMITTENTIVM**

SYMPTOMATIBVS QVIBVSDAM ACVTIS

1763  
6  
PRAESIDE

VIRO EXCELLENTISSIMO ATQVE EXPERIENTISSIMO

DOMINO

D. ADAMO NIETZKI

PRAECEPTORE SVO

AETERNV M COLENDO

DIE XXV. IULII C<sup>17</sup>CCCLXIII.

IN ALMA FRIDERICIANA

H. L. Q. C.

PUBLICE DISSERET


AVCTOR

IOANNES HENRICVS SEYLER

HEILBRONNA SVEVVS.

HALAE AD SALAM

AERE BEYERIANO.



DE  
**F E B R I V M**  
**I N T E R M I T T E N T I V M**  
SYMPTOMATIBVS QVIBVSDAM ACVTIS.

§. I.

*Instituti ratio.*

**O**perae pretium me facturum esse credidi, si pauca de iis,  
quae in febribus intermittentibus interdum accidere so-  
lent, atque ad maxime memorabilia referri merentur, verba fa-  
cerem. Quamuis enim plurimi sint, qui illud febrium genus  
satis leue ac benignum, quin admodum salutare praedicent: eos-  
dem tamen saepius dissentientem hac in re habere experientiam,  
animaduertimus. Saepissime enim contingere solet, ut istae febres  
de suo, quem alias percurrere solent, tramite periculosius in aliam  
deflectant viam. Sic grauiori quadam admissa exacutuatione sae-  
pe hec*icae* inde suboriantur febres, saepius in spurium et com-  
positum abeunt typum, saepissime tandem in acutam terminantur  
periodum. Quum autem quam maxime egregia de hisce iam  
exarata habeamus scripta, superuacaneum foret, toties iam per-  
tractata hic denuo repetere. Sed nunc magis e re mea erit, in

A 2

hoc

hoc eruditio[n]is medicae specimine, quod im[prae]sentiarum a me pu[b]lice editur, de symptomatibus quibusdam acutis, quae in febribus intermittentibus nonnunquam prodire solent, differere; ad id argumentum annotatione dignissimum ab obseruationibus du[t]us, quas praeceunte Excell. Praefide mihi colligere licuit.

## §. II.

*Quid per febres intermittentes intelligatur.*

In generaliori illa diuisione omnium, quae in Pathologia occurunt, febrium, singulare genus constituunt eae febres, quae nomine intermittentium insigniri solent; idque ideo, quoniam illarum paroxysmus cessat, antequam plenarie ipsa febris soluatur.

## §. III.

*Distinctio a reliquis febribus.*

Distinguuntur febres intermittertes a reliquis febribus febre sequentibus symptomatibus. Fieri solent earum inuasionses cum oscitatione ac pandiculatione, sensuque frigoris. Conqueruntur tunc aegri de sensu tensionis molesto in hac vel illa abdominis regione, vel in dorso ac lumbis, vel sub scrobiculo cordis. Frigus dein magis magisque inualescit, adeo, ut tremores, rigores, nec non succussions membrorum obseruare liceat. Durant haec incommoda per vnam vel alteram horam, quae aestus excipit diuersi gradus, nunc magis siccus ac molestus, nunc acerbus cum sudoribus eum comitantibus.

Totus

Totus paroxysmus plerumque sex comprehenditur horis, non nunquam tamen et longior, et succisor esse solet. Atque id annotatione quadam dignum esse videtur, quod sub primis praecipue febris aggressionibus vomitus et reiectiones per aluum oboriri soleant, idque in febricitantium salutem; siquidem sequentes febris inuasionses prioribus longe leniores esse deprehenduntur. Quod leuamenti genus aegris quoque a sudoris, impensis vrinae, determinatis excretionibus accidere, fida loquitur obseruatio.

## §. IV.

*Causae febrium intermittentium.*

Causa harum febrium praecipua later in fluido seroso visciditate sua peccante, et primas vel secundas vias agrauante, quae pro diuersitate gradus, ratione prauae indolis suae et locorum, quae in visceribus abdominalibus occupat, singula, quae in hisce febribus conspicua sunt, phaenomena produce-re potest; sicuti id ex genuinis principiis in Pathologia euolutum tradi solet.

## §. V.

*Divisio febrium intermittentium.*

In tres praecipuas dispescuntur species hae febres, quae dicuntur quotidiana, tertiana, quartana, pro ratione nimirum temporis a febre vacui, sic denominatae.

## A 2

## §. VI.

## §. VI.

*Quid intelligendum sit per symptomata acuta febrium intermittentium.*

Quodsi tibi deprehendere liceat, symptomata in aegro-  
tante ex febre quadam intermittente affectare indolem illorum  
symptomatum, quae febribus acutis magis propria sunt: tunc  
huius conditionis symptomata acuta erunt, quae febribus in-  
termittentibus interueniunt. Quorsum praecipue pertinebunt  
delirium, sopor.

SCHOL. Atque ita distinctum esse volumus hunc casum ab illo, vbi  
febris intermittentis complicatio adest cum febre quadam acu-  
ta, exemplo quodam quotidianae continuae, vel tertianae conti-  
nuae, vel quartanae continuae.

## §. VII.

*Conseparium.*

Ex superioribus iam constat, febrium intermittentium,  
qua talium, indolem nihil in se continere, vnde concludere li-  
ceat, eas acuti aliquid praese ferre. Si igitur symptomata acu-  
ta in illis obseruare liceat, necesse erit, vt tunc causa alia in  
corpo adsit, vnde illa determinari possint. Cum autem per  
febrem intermittentem hoc fieri nequeat (per anteced): sequitur,  
vt una vel altera causa corpori inhaereat, quae illi similis est, a  
qua symptomata in febribus acutis proficiunt solent.

## §. VIII.

## §. VIII.

*De causa proxima symptomatum acutorum in febribus intermittentibus.*

In omni febre sanguis maxima cum vi propellitur, et necessariae ad caput oboriuntur congestiones (*confr. Dissert. inaug. Excellentiss. Praefidis de febr. compl. §§. XX. et XXIV.*). Sed pro differentia gradus, quo congestiones istae versus encephalon fieri solent, diuersi effectus in corpore producuntur, ita, vt, dum cuicunque speciei febris determinatus quasi gradus harum congestorum respondere videtur, inde originem suam ducant sopor, delirium, et alia incommoda (*laudat. Dissert. §. XXII.*). Quoniam vero sopor, alienationes mentis ad symptomata acuta febris pertinent (§. V.), arque haec originem suam praecipue debent auctioribus sanguinis ad vasa encephali congestibus, quam quae in febribus intermittentibus, per se spectatis, accidere solent (per anteced.): hinc necessario sequitur, vt similitudo illarum causarum, a quibus eiusmodi symptomata in febribus intermittentibus perfici debent (§. anteced.), redditura sit ad causarum in corpore febri intermitterenti obnoxio simul praesentium illas conditiones, de quibus certe constat, non parum inde augeri congestiones in encephalo febrentium.

## §. IX.

## §. IX.

*Cause remota eorumdem symptomatum.*

Sed haec causa proxima, a qua symptomata quaedam acuta in febribus intermittentibus produci posse, commonstratum est in §. anteced. a variis aliis causis modo internis, modo externis determinari solet. Pertinent huc morbi quidam praegressi, quales sunt haemorrhagiae narium, hemicraniae, cephalalgiae. Huius loci porro erunt plethora, obstrukiones alii, flatulentia, materia biliosa, cruditates aliae in ventriculo haerentes, quae saepius cardialgiam intensiorem producunt, spasmi vehementiores in partibus inferioribus. Neque tandem hic praetermittenda erunt patemata animi, regimen nimis calidum, nec non remedia admodum exaestuantia, in febris paroxysmo praecipue data. Haec enim omnia, et quae huius conditionis plura alia forent, perquam graves in corporibus febrentibus congestiones versus vasa encephali efficere valent, atque hoc modo, ut in §. anteced. euictum erat, ad symptomata acuta in febre intermittente producenda concurrunt.

SCHOL. Eiusdem quoque indolis cause erunt symptomatum acutum in febribus intermittentibus a nobis obseruatorum. Conveniet adeoque hosce casus nunc enarrare, quibus praefens tractatio suam quasi originem debet.

## §. X.

## §. X.

*Obseruatio.*

Iuuenis succulenti habitus corporis a febre tertiana corripiebatur, quae rite suas seruabat inuasionses. Frigus febrile subsequebatur aestus tanti gradus, vt facies mirum in modum turgida et rubens appareret, deprehensis simul grauibus alienationibus mentis, vna cum pulsu ad magnitudinem increscente; adeo, vt quisque adstantium febrem suspicaretur acutam. Sudoribus tandem sub finem paroxysmi erumpentibus, aeger sensim sensimque ad quietem redactus, diem subsequentem a febre consumxit plane liber. Teritus febris paroxysmus secundo adhuc leuior erat. Sequentे tandem die vacuo remedium aegro ad aluum expurgandam datum erat hoc cum effectu, vt, quae die crastino expectanda foret febris, iam redire nesciret, sanitate in integrum restituta.

## §. XI.

*Consēctarium.*

Causa deliriorum in iuuene §. antec. descripto a sola orta fuit plethora, quae sub aestu febrili commota congestiones ad encephalum adauxit, ansamque dedit alienationibus mentis (§. VIII), sed etiam imminuta erat per sudores. Adhibito tandem remedio laxante factum est, vt inde non solum plethora magis decresceret, verum etiam, e primis viis materia febrili simul remota, febris ipsa profligaretur.

## §. XII.

*Obseruatio.*

Puer, qui crebriores alias experiri solebat haemorrhagias

B

na.

narium, incidebat in tertianam, typum sibi congruum in initio satis exacte obseruantem. Aestus vero maxime vehemens erat, qualis in acutis esse solet, graibusque stipatus deliriis, quae sub finem paroxysmi demum cessabant largioris beneficio sudoris. Sequenti die nil plane febrilis animaduertere licuit; ast rediit febris tertio ac quinto die cum deliriis eodem modo, vt antea per proleitos sudores, profligatis. Sequentes febris aggressiones siebant sine delirio, febrisque ipsius plenaria solutio, eaque salutaris, vsu congruorum remediorum paulo post insequebatur.

### §. XIII.

#### *Corollarium.*

Eandem, quam supra, hic quoque accusandam esse censemus causam, nimirum plethoram febrili motu exagitatam, atque ad loca superiora ob dispositionem ad congestiones ibidem iam obuiam magis tendentem, tantasque in vasis encephali producentem congestiones, quantae deliriis respondere solent (§. VIII), sublatam tandem per sudores largiores.

SCHOL. Illustris b. m. HOFFMANNVS in *Med. rat. Tom. IV. Part. I. Cap. I. Obf. II.* similem adducit easum, vbi itidem ex plethora in subiecto senili, tertiana decumbente orta, fuerunt deliria atque alia symptomata grauissima.

### §. XIV.

#### *Obseruatio.*

Alius itidem iuuenis aliquoties iam sustinuerat tertianam, nil plane acuti monstrantem. Accidit autem, vt sub aestu febrili grauis quaedam irae concitandae admitteretur causa. Factum inde est, vt mox de dolore circa praecordia conqueri inciperet aeger, mente simul

simul alienatus, durante paroxysmo febrili. Subsequente die, tanquam a febre vacuo, aegro suborriebatur diarrhoea tam felici cum successo, vt nouo accidente die febrili febris admodum mitis fuerit, nulloque symptomate acuto stipata, imo paulo post prorsus euanida facta.

## §. XV.

*Consecutarium.*

Ex obseruatione §. anteced. sequentia confidere licebit. Irruenda animi commotio ab aegro in febris paroxysmo admissa in causam delirii suborti cessit; siquidem ex pathologicis satis superque constat, quantopere pathemata animi congestionibus versus caput et producendis, et iam aliunde productis mirifice augendis faciunt, eoque modo mentis alienationes efficiant (§. VIII.). Quod vero ad felicem, qui deinde mox sequebatur, febris euentum attinet: ille sine dubio diarrhoeae tribuendus erit, per hanc enim excretionem haud parum subtractum fuit de materia febrili.

## §. XVI.

*Obseruatio.*

Puella admodum iuuenis, haemorrhagiis narium saepius obnoxia, ante dimidium fere annum a mucosa corripiebatur angina, a qua tamen per congrua medicamenta mox liberabatur. Contigit vero, vt ante aliquot hebdomades in tertianam incideret satis regularem, & perquam mite ingruentem, quam mater profligare conatur, propinato spiritu vini cum pipere, et quidem in medio febris feruore. Vix haustum fuerat toxicum, cum effera subsequeretur haemorrhagia narium, grauissimumque delirium; perturbato simul febris ordine. Congrua tandem adhibita morbi curatione, aegra intra octiduum pristinae sanitati redditia erat.

B 2

§. XVII.

## §. XVII.

*Confectarium.*

Causa horum malorum (§. ant.) satis in aprico posita est. Quid enim in aegra adeo sensili post medicamentum tantopere calefaciens euenire potuit aliud, quam orgasmus humorum vehementissimus? Nonne inde maximae versus caput congestiones, atque ab his proficiscientia deliria (§. VIII.)?

SCHOL. Illustris WERLHOVIUS in *Obs. de febr. Sec. I. §. IV. pag. 13.* praedicat, tertianas, etiam legitimas, nisi optime curentur, diuersis periculis, et acutis, et chronicis aegros exponere; adiecit simul verbis GALENI, tertianam facillime aberrare, nisi diaeta sit exactissima.

## §. XVIII.

*Observatio.*

Infans duorum, et quod excurrit, annorum subiiciebatur tertianae suetis incidenti symptomatibus, cui itidem mater auxiliaricem afferre studuit manum, imponendo fronti illius sedum murarium conquassatum. Sed quam incongrua medicina? Infans enim paulo post graui corripiebatur vertigine, sopore, interuenientibus deliriis, vt febris penitus in acutum degenerare visa sit typum. Usum rationalis methodi medendi intra octiduum, et quod supra erat, integrum sanitatem excepisse, hic quoque deprehendere licuit.

## §. XIX.

*Confectarium.*

Ob vim rubefacientem sedi mufarii, quod fronti aegrotantis tenelli applicatum fuerat (§. anteced.), congestiones versus caput magis magisque directae symptomatum acutorum productioni inservire poterant (§. VIII.).

## §. XX.

## §. XX.

*Scholion generale.*

Ex haec tenus dictis satis clare iam apparebit, quantopere symptomatum acutorum ortus in febribus intermittentibus cum ratione et experientia consentiat. Sequitur iam, vt nunc quoque alia eiusdem argumenti momenta proferantur. De eo nimirum dicendum erit, vnde fiat, cur ista symptomata in uno deprehendantur esse acerbiora et longiora, in alio autem leniora et breuiora? E nostra porro erit de eorundem symptomatum effectibus in corpore possibilibus differere. Conueniet tandem hisce omnibus usum practicum doctrinae huius subiungere.

## §. XXI.

*Ratio magnitudinis differentis horum symptomatum.*

Si id cognitionis humanae principium cum veritate congruit (congruit vero vel maxime), quando nimirum ab effectuum quantitate ad causarum, a quibus illi producuntur, magnitudinem colligitur: tunc sine dubio erit, quod febrium intermittentium symptomata acuta, quae aegrum grauius et longius affligunt, sui agnoscent causam maiorem, iis, quae leniter incedunt, vel breuioris sunt durationis. Ista causae vel solitariae sunt in corpore unius vel alterius aegrotantis, vel illarum plures simul ibidem concurrunt; in casu utroque ratione suae magnitudinis inter se modo different, modo conuenient. Quaecunque enim causa tanquam vis determinati cuiusdam gradus consideranda est, ita, vt hoc gradu modo maiore, modo minore haec vis mox maiorem, mox minorem edat effectum, licet similis sit qualitatis. Exempli loco. Inter alias causas plethorae originem suam debent symptomata acuta in febribus intermittentibus obvia,

sed fieri potest, vt in vno aegrotante sanguis magis abundet, quam in alio; reliquis conditionibus corporis febrentis inter se plane convenientibus. Tunc procul dubio est, quod ibi maioris acerbitatis et durationis ista symptomata sint, vbi plethorae gradus magis eminet, quam vbi remissior est. Atque hoc modo gradu differunt haec symptomata a solitariis causis proficiscentia. Sicuti vero plerumque fieri solet, vt plures causae vnius morbi in vno corpore convenient: ita eodem quoque modo se res cum ipsis symptomatibus habebit. Atque tum symptomata ista et ingrauescent, et longius perdurabunt. Quod ideo necesse erit, quia sub concursu duarum aut plurium causarum vnius morbi vis intensioris gradus in corpore obtinet, adeoque etiam effectus maior. Ita plethora cuiusdam gradus in pueru vel sene maioris efficacie erit ratione symptomatum acutorum in febribus intermittentibus producendorum, quam in corpore aetatis consistentis. Nam in casu priori adest maior dispositio ad congestiones versus caput, quae in casu posteriori magis deficit. Nonne vero dispositio ad morbum instar causae morbi concipienda erit? Vel si ad casum modo prolatum adhuc accesserit regimen aegri nimis calidum, nonne tunc plethorae plus adaugebitur efficacitas? Idem etiam de pluribus aliis causis, quae hic concurrere possunt, tenendum erit.

### §. XXII.

#### *Effectus horum symptomatum.*

Ad effectus vero quod attrinet, quae ab ipsis symptomatibus, nonnunquam in febribus intermittentibus obseruatis, oriri possunt in corporibus aegrotantium: illi varii erunt, neque ultimo loco habendi. Nam horum symptomatum conditio ea est, vt sibi habeant co-

comites validas in encephalo valorum distensiones (§. VIII.). Quod si iam hic cogitaueris, quod vi principiorum pathologicorum eiusum redditur, quot, quantaque mala corpori humano accidere possint a congestionum versus caput directa saeuitie: non poteris non inde intelligere, quantum cum vero consentiant, quae nunc iam sequuntur. Huius itaque census erunt insultus apoplectici; varia organorum sensoriorum vitia; conuulsio; lipothymia; haemorrhagiae narium nonnunquam efferae; vertigines et cephalalgiae facilis ortus, febre quoque superata; febres continuae, ut phrenitis, aliarumque partium inflammationes, consequenter febrium complicationes. At quae istae, diuersos febris intermittentis continuae constituent casus, pro differentia febris continuae ad intermittentem accendentis. Quantita inde pericula vitae aegrotantium imminebunt? Ut de eo hic nihil dicatur, quod exacerbatis ipsis symptomatibus febrium intermittentium, hae reddi soleant atypicae. Noua impedimenta, quo minus febris tam facile, tamque salutariter solui possit!

## §. XXIII.

*Vsus practicus doctrinae propositae.*

Ex quibus tandem concludere licebit, quod omnis opera medentium huiusmodi febribus intermittentibus eo impendenda sit, ut deprehensa horum symptomatum grauitate, methodus quidem mendendi hisce febribus congrua adhibeat, sed simul etiam eidem subiungantur remedia ad discutiendas a capite congestiones, easque imminentे nouo paroxysmo febrili tempestive praecauendas maxime idonea.

T A N T V M.

# R E S P O N D E N T I

S. D.

## P R A E S E S.

**S**electio iuuenium illorum numero munc iam honorifice accedit, DOCTISSIME SEYLER, qui publica eruditionis suae specimenia edituri, propriis viribus vti didicerunt, sibi maxima turpitudini fore ducentes aliorum operis solu in clarescere velle, aut, vt prouerbium fert, alieno vitulo arare. Haec veri de TE confessio, nunc etiam omissa ratione aliarum, quae in TE sunt, virtutum, mihi argumentum praebere posset ad TE laudandum quam amplissime; si id modo epistolae permitteret spatium. Sed dicenda mihi quaeram erunt, ad dissertationem ipsam pertinentia. Tradisti in eadem argumentum summae utilitatis; singulis, quae ibidem a TE traduntur, recte dedubitis a principis ad percolendam Medicinam apprime conuenientibus; adeo, vt prolatis in dissertatione theorematibus, plura alia facili ratione erui potuissent, illis adhuc addenda. Quod vero a TE consulto omissum est; quia et breuis in scribendo esse voluisti, et quod scriptissimi, rerum pathologiarum gnaris scriptum esse voluisti. Quare iam TIBI ex animo gratulor de hoc eruditionis tuae praeclaro specimine! Feliciter quoque in posterum res tuas age!

Atque ita iam vale, meque amare perge! Dab. in Acad. Frider. XI.

ante Cal. Aug. A. O. R. tis 13 cc LXIII.





**ULB Halle**  
002 187 574


3



56








DE  
**FEBRIVM  
INTERMITTENTIVM**  
SYMPTOMATIBVS QVIBVSDAM ACVTIS

---

PRAESIDE  
VIRO EXCELLENTISSIMO ATQVE EXPERIENTISSIMO  
DOMINO  
**D. ADAMONIETZKI**  
PRAECEPTORE SVO  
AETERVM COLENDO  
DIE XXV. IULII CL. ICCCCLXIII.  
IN ALMA FRIDERICIANA  
H. L. R. C.  
PVBLICE DISSERET  
AVCTOR  
**IOANNES HENRICVS SEYLER**  
HEILBRONNA SVEVVS.



HALAE AD SALAM

AERE BEYERIANO.

